



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Cogitationes, Sive Considerationes Christianae Pro singulis Anni diebus

Complectens Januarium, Februarium, Martium


Nepveu, François

Monachii, 1709

Dies 3. De cura salutis. Negotium salutis nostrum est negotium.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-60495](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-60495)

Martius.



DIES III.

De Cura salutis.

Negotium salutis nostrum est negotium.

I.

NON est ullum, præter negotium salutis, quod nostrum propriè sit negotium; quia fere unicum est, quod ab alio nobis procurari non possit; aut certè nemo invenitur, qui id agere sine nobis valeat. DEUS ipse, qui nos creavit sine nobis, non posset nobis dare salutem sine nobis, inquit S. Augustinus. Omnia, excepto salutis negotio, alterius operâ confici possunt. Per procuratorem de negotiis tractare, ijs nos implicare, iisdémque rursus nos evolvere possumus; at salutem æternam per eum consequi non possumus. Litem habes forensis magni ponderis, nec tamen habilis es ad jus tuum iudicio prosequendum; si peritum habes Patrum; satis est; causam enim evincere potes, quin ipse te immisceas. Princeps aliquis non quidem magnus Belli dux est; castrorum tamen præfectos habet insignes; is victoriâ potiri potest; quin ipse prælio intersit, & expugnator urbium esse, quin ipse fortiter agat.

II. Non

Martius.

II. Non ita res se habet cum salutis negotio. Hic neminem substituere licet, qui vices nostras suppleat. Ingens bellum tibi subeundum est à potentibus hostibus, mundo & dæmone: ubi nec legatus, nec adiutor conceditur; ipse pugnes, necesse est, si victoriam reportare cupias. magni momenti lis tibi dirimenda est, è qua æterna vel felicitas, vel infelicitas pendet, coram iudice sapientissimo, perspicacissimo; & qui nullo pretio corrumpi se patitur; apud quem, licet universi totius fores Monarcha, ipsemet te sistere, & dicere causam debes; nec quisquam, nisi ipse hoc facias, collectam in te criminacionem diluet. Coram hoc terribili tribunali *Unusquisque nostram pro se rationem reddet Deo.* Inquit Apostolus; suntne rationes tuæ paratæ?

Rom. I4.
v. 17.

III. Interea in alijs negotijs non tantopere fidimus industriæ & fidei amicorum nostrorum, ut non magis proprio fervori, & studio fidamus, rati, quemvis habiliorum, perspicaciorumque in proprijs negotijs esse, quod ibi sua potius res agatur, quàm aliena. Quantumcunque Providentiâ divinâ nitamur in rebus caducis, obligatos tamen nos credimus eidem proprijs curis respondere. Nec ullum est,

N 2

dem-

Martius.

dempto salutis negotio , in quo nos Deo penitus permittamus , quasi ipse solus omnia , nos verò præstare nihil valeamus , cùm tamen is omnia , si salutis negotium excipias , præstare sine nobis possit. Salutem æternam obtinere non quidem possumus sine ipsius gratijs ; sed neque ipsius gratiæ nos æternùm beatos reddere possunt , operâ nostrâ non accedente. Contrarium sentire errare est : agere , quasi hoc crederemus , non est Confidentia , sed ignavia , vel temeritas. An non horum mihi conscius sum ? quanta ergo hæc deceptio est ? auferâ me Domine hunc errorem , cùm solus possis.

Statue ipsemet serid salutem tuam operari ; quia , nisi tu huic negotio manum applicas , fieri non potest , ut id felicem sortiatur exitum.

Non ego ; sed gratia DEI mecum 1. Cor 15.

Qui creavit te sine te , non salvabit te sine te. *Aug.*

**DIES**